Ad Eminent.mum & Reuerend.mum

34.6.D.22

PRINCIPEM

FRANCISCVM BARBERINVM

S.R.E. CARDINALEM

Epiſcopum Oſtienſem, & Veliternum, Sacri Collegij Decanum, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Vicecancellarium.

Diſſertationes Quatuor.

I. De Chronologia Operum S. Augustini.

II. Testimonia De Illius Opere Perfecto Adversus Iulianum Pelagianistam E Conciliis Deprompta.

III. De Crocea Veste S.R.E. Cardinalium In Conclavi.

IV. De M. Laborante S. R. E. Cardinali Florentino.

A IOSEPHO MARIA SVARESIO Epiſcopo Vaſionenſe, Eminentiſſ. ac Reuerendiſſ. Principis Caroli Barberini S.R.E. Cardinalis Archipresbyteri Sacroſanctæ Baſilicæ S. Petri Vicario, & Sanctiſſ. Domini Noſtri Aſſiſtente.

ROMAE, M. DC. LXX.
EX TYPOGRAPHIA FABII DE FALCO.

SVPERIORVM PERMISSV.

Bibliothecæ S.tæ M.æ Transpontinæ de urbe

246

DISSERTATIO PRIMA.

DE CHRONOLOGIA OPERVM S. AVGVSTINI.

Emin.^me & Reu.^me Princeps.

QVoties Opera S. Auguſtini lectitare aggredior, toties ingredi mihi videor agrum illum, in quem ſerpentis occiſi dentes Cadmus diſperſerat. Nam vti Poëtæ fingunt, ex illis dentibus enatam confeſtim ſegetem militum Cataphractorum, qui ſe mutuis vulneribus confecerunt, animaduerto ab ipſo Sancti Auguſtini æuo eos, qui verſantur in ipſius Operum lectione, varietate opinionum diſtrahi, & internecinas pugnas conſerere, præſertim vbicumque Doctor eximius agit de Gratia Dei, deque hominis Libero arbitrio.

Sed quod Sanctiſſimus Petrus Apoſtolorum Princeps de Coapoſtoli ſui Sancti Pauli ſenſit Epiſtolis, vſurpare de Operibus Sancti Auguſtini audeo *2. Pet. cap. vlt.*

audeo; ſcilicet in illis Sanctum loqui Patrem de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras Scripturas ad ſuam ipſorum perditionem. Nec enim Auctoris vlla id accidit culpa, ſed Lectorum vitio, qui ſiuè minùs perſpicaces, ſeù vagis imbuti priùs erroribus, ordinem potiſſimum librorum,& diſputationum ignorantes, mentem acutiſſimam,& ſaniſſimas ſententias doctiſſimi Patris aſſequi nō potuerunt; ex φιλαυτία occœcati ſibi nebulas offundunt, & inania portenta comminiſcuntur.

Nam veritatis defenſor indefeſſus Sanctus Auguſtinus ſemper in procinctu poſitus, & aſſiduè certans aduerſus Manichæos, & Pelagianos præcipuè qui tunc potiſſimum graſſabantur infeſti Catholicis in Africa: & è quibus iſti Gratiam Dei,illi Liberum hominis arbitrium tollere ſatagebant, vt æſtuabat igne præferuido caritatis, & Hæreticos ad Eccleſiæ gremium reuocare geſtiebat, atque ſub lene Chriſti iugum peruicacia illorum ingenia conuicta feliciter, & captiua compellere,nūc Dei Gratiam,nunc hominis Liberum extollebat arbitrium ſuis in Homilijs, Sermonibus, Tractatibus, Collationibus, & alijs libris,quorum innumerabilis in dies excreſcebat copia, cum non ſolùm ab ipſo ſcripta, ſed etiam dictata,quin & tantum ab eo dicta cōſcriberentur, & publicarentur. Sæpiùs è datis, & nō conceſſis effatis eos arguebat,immò proponebat interdùm multa, quæ tamen non affirmabat, vt eſt ſolemne vſuuenire Polemicis, quò reluctantes, & elabentes eliceret, pertraheretq; in

ſuam

247

ſuam doctrinam, quæ ſemper orthodoxa, nec vnquam ab Eccleſiæ Romanæ, ſummorumque Pontificum decretis diſcrepare vlli viſa eſt, vt ipſi Pontifices Optimi Maximi Cæleſtinus, Ioannes Secundus, Gregorius Magnus, &c. aſſeruerunt.

Minùs etiam perſpicaces, & errantes, vt vel acutiùs cernant, vel in viam veritatis redeant, adiuuare operæ pretium eſt, vtque id faciliùs fiat, exiſtimo neceſſum omninò noſſe apprimè Operum ordinem, ſiue quibus locis, temporibuſq; conſcripta, & edita fuerint, cum quibusnā initæ collationes, ac diſputationes, ad quos habiti Sermones, & Homiliæ: ſic enim tanti Doctoris ſenſorum elegans, & concinna harmonia, atque conſtans, ac perpetuus in tuenda veritate conſenſus in primis eluceſcet, & ipſius Operum lectoribus, ne Andabatarum more deinceps in tenebris dimicent; fax veluti clariſſima præferetur. Id inſinuat ipſe Gennadius, quamuis Semipelagianis addictus tàm Illuſtri Patri ſe iniquiorem præbuerit in proteruia, corruptaque ſua cenſura.

Et Sanctus quidem Auguſtinus ſpecimen quoddam exhibuit huius rei ſuis in Retractationibus, ſeu duobus Voluminibus de recenſione librorum, quæ ante proximum diem infirmitatis obitus ſui conſcripſit, in quorum Prologo monuit inuenturum illum, quomodo ipſe ſcribendo profecerit quiſquis eius Opuſcula ordine, quo ſcripta ſunt legerit, quod vt poſſit, hoc operè quantum potuit curauit, vt is ordo innoteſceret. Tanta autem ab eodem dictata, & e-

dita

dita ſunt, tantaque in Eccleſiâ diſputata, excepta, atque emendata, vel aduerſus diuerſos Hæreticos conſcripta, vel ex Canonicis Libris expoſita ad ædificationem Sanctorum Eccleſiæ Filiorum, vt ea omnia vix quiſquam ſtudioſorum noſſe,& perlegere ſufficiat(inquit Poſſidius) verumtamen ne veritatis auidiſſimos in aliquo fraudare videatur ſtatuit Deo præſtante in Opuſculi de Vita Auguſtini fine etiam eorumdem Librorum, Tractatuum, & Epiſtolarum Indiculum adiungere, innuitq; in Hipponenſis Eccleſiæ Bibliotheca ſupereſſe emendatiora exemplaria, quæ peti poſſunt, & indè deſcribi, & addit præreptos Sancto Auguſtino quoſdam libros ante diligentiorem emendationem, vt ipſe conquerebâtur, licèt eos poſtmodum emendaſſet, imperfecta etiam quædam Librorum ſuorum præuentum morte dereliquiſſe. Hoc Riuius aggreſſus erat, & quoad potuit in Vita Sancti Auguſtini præſtitit, ſed adhuc deſiderari exactior induſtria poteſt, & in id opus incumbendi poſteris relinquere ſpatium mihi viſus eſt. Itaq;auſim (licet vires meas fatear parum firmas, & ſatis tenues) ſuccedere oneri tanto perlibenter, ſi otiũ ſuppetat, & ab Eminentia Veſtra meus iſte auſus approbetur.

DIS-

248

DISSERTATIO SECVNDA.

TESTIMONIA DE S. AVGVSTINI OPERE PERFECTO

Aduerſus Iulianum Pelagianiſtam è Concilijs deprompta.

Eminent.^me & Reuerend.^me Princeps.

OPTIME quidem de Sancto Auguſtino eximio Eccleſię Doctore meritus eſt R. P. Io: Riuius eius Ordinis Alumnus in Libris quatuor, quos de ipſius Vita conſcriptos edidit, & §. 3. cap. 3. libri quarti obſeruauit Sanctum Agathonem Pontificem Maximum in ſexta Synodo OEcumenica Action. 4. citare quædam D. Auguſtini Eminentiſſimi Doctoris contra Maximinum, quæ habentur libro tertio cap. 20. quæque Beda in c. 8. ad Romanos refert. At quo pacto prætererit Riuius illa, quæ in eadem Act. 4. proferuntur ab eodem Agathone, quin & à Theophane in Action. 8. & è Codicillo Teſtimoniorum Sedis Apoſtolicæ in Action. 10. prompta è libro quinto Diſputationis B. Auguſtini aduerſus Iulianum Pelagianiſtam, & extant in Opere Perfecto, quod R.P. Hieronymus Vignier Presbyter Oratorij edidit in lucem, lib. 5. nume-

numeris 40. 42. & alijs, quorum aliqua iam fuerant prolata in Synodo Lateranenſe, cui præerat S. Martinus Papa Primus; à Maximo Epiſcopo Aquileienſe hactenus ſatis anxiè diſquiro? Nec adhuc excogitare potui, niſi quod (vt ſcribit S. Cyprianus ad Pomponium de Virg. refertur que in Can. nec aliqua 27. q. 1.) ſæpè fallit oculus, & elabitur, ſeſeque furtim ſubripit perſpicacioribus, quod in manu ipſe teneas, nec omnia poſſumus omnes, vti canit Virgilius Ecloga 8.

Riuius profectò duos primos libros Sãcti Auguſtini aduerſus Iulianum, quos Claudius Menardius Andium Proprætor inuenit, lucique reddidit à Theologi, ſiuè Logici, vt ait, cuiuſpiam calumnijs egregiè vindicat, certiſſima facie ſtyli, & ſermonis Sancti Auguſtini, ac perpetua conſentientis cum reliquis Voluminibus doctrinæ ſententia. Quamuis quinque libros tantum fuiſſe Sancti Auguſtini aduerſus quinque libros Iuliani videatur §. antecedente agnoſcere, cum tamen ſint ſex Sancti Auguſtini cõtra octo Iuliani. Gennadius in libro de Viris Illuſtribus agens de Iuliano iſto Cãpano Eclanenſe, vel Celianenſe Epiſcopo, tradit eum quatuor libros aduerſus Sanctum Auguſtinum conſcripſiſſe, tum ſeptem, & librũ etiam eſſe Altercationum ambarum partium. Attamen P. Vignier in Præfatione Operis Imperfecti ſatis oſtendit Iulianũ in primis aduerſus vnicum librum de Nuptijs, & Cõcupiſcentia à Sancto Auguſtino dicatum Valerio Comiti miſiſſe quatuor Libros, quorum Excerpta cum Comes ille Valerius ipſi Auguſtino dire-

direxiſſet, alterum S. Auguſtinus repoſuit eidem Valerio nuncupatum. Sed cum integros quatuor Iuliani libros nactus eſſet Auguſtinus ab Excerptis diuerſos, ſex libris ad Epiſcopum Claudium directis, eos ſolidè refutauit; aduerſus quos Iulianus octo celerrimè reddidit, etſi Gennadius, & Honorius Auguſtodunenſis, & Sanctus Antoninus ſeptem tantum numerent, & librum Altercationum Auguſtini, & Iuliani alium putarint eſſe, qui octauus erat Iuliani, imò Reſponſio Sancti Auguſtini ad illos, quæ ſex libris comprehenſa tandem prodijt typis obſtetricante ipſo P. Vignier, lucemque aſpexit cum titulo Perfecti Operis, quia duo primi libri producti à Menardo titulũ Operis Imperfecti præferebant.

Sed & Pater Vignier, qui quatuor alios libros luctantes cum puluere, cumque blattis reperit in Abbatis Clarauallenſis Bibliotheca exſcriptos ſumma fide, ita vt nec apices, neque minuta, etiam quædam σφάλματα, id eſt errata, quæ aſperſa erant, omiſſa fuerint (adeò cum his actum fuit religiosè) Pater, inquam, Vignier præfixit teſtimonia Veterum Auctorum, qui horum ſex librorum Sancti Auguſtini aduerſus hunc Iulianum meminerunt, & ex iſtis loca ſuos in Commentarios retulerunt, Sancti Proſperi nimirùm, Bedæ, atque Lupi Ferrarienſis Abbatis, è libris nempè primo, ſecundo, tertio, quarto, quinto, & ſexto, pluraque afferri poſſe probatiſſimis è Scriptoribus ineditis, ait, ſed quia ſufficere iudicabat iſta, non fore ſe tædio Lectori concludit. Cur tamen non attexuerit hæc teſtimonia, tam à Maximo Epiſcopo Aquileienſe decerpta è libro

quinto Sancti Auguſtini aduerſus Iulianum ſupraſcriptum, & inſerta quinto Secretario, ſeu Conſultationi Synodi ſub Martino Papa Primo habitæ contra Monothelitas anno à Chriſto nato DCXLII. quam exarata in Epiſtola S. Agathonis Romani Pontificis ad Imperatores Conſtantinum Maiorem, Heraclium, & Tiberium, recitata in Action.4.Synodi OEcumenicæ ſextæ, & in alijs Actionibus ab alijs; non minus ſolicitè perquiro, & compertum necdum habeo, niſi etiam id acciderit ob cauſas enunciatas, nam Cygnæis vocibus iſtis Sancti Auguſtini, & Herois incomparabilis Operum Colophoni, cui eſt intermortuus, maximam tantorum Pontificum, Patrumque Auctoritas conciliat commendationem.

Latere igitur diutius illa teſtimonia nolui, cenſuique publicis iuris facienda. In Lateranenſi Concilio, quod intra Conſtantinianam Baſilicam fuit habitum, aderant Epiſcopi 105. Præſidebat Summus Pontifex Sanctus Martinus Primus Confeſſionis gloria deindè conſpicuus, & Catholicæ Fidei pugil inuictus. Maximus autem Aquileienſis Epiſcopus, qui primus poſt Sanctum Martinum ſubſcripſit huic Concilio, dixit pag. 177. manuſcripti Codicis Græci: τὸ προφητικὸν &c. συμφθέγγεται δὲ τούτῳ, idest S.Cyrillo ad Hermã ãteà laudato, ὁ ἅγιος Αὐγουστῖνος ἐν τῇ πέμπτῃ βίβλῳ τῆς κατὰ Ἰουλιανοῦ τοῦ Πελαγιανιστοῦ πραγματείας τάδε λέγων. Μὴ ἄρα Ἰουλιανὲ ὅταν Ἄγγελος ἢ ἄνθρωπος τί ποτὲ θέλει, οὐχὶ ἡ φύσις αὐτῶν τί ποτὲ θέλει; Ἄγγελος ἢ

ἀνθρω-

ἄνθρωπος φύσεις οὐκ εἰσί; τίς τοῦτο εἴποι, ὅτι οὐκ εἰσιν, ἐὰν οὖν φύσεις εἰσὶν Ἄγγελος καὶ ἄνθρωπος, δῆλον ὅτι ἡ φύσις θέλει, ὅπερ ἂν θέλει Ἄγγελος, καὶ ἡ φύσις θέλει, ὅπερ ἂν θέλει ἄνθρωπος. Quæ ita verſa ſunt Latinè apud Binium : *Sed & Sanctus Auguſtinus in quinto Libro contra Iulianum Pelagianiſtam ſimiliter ait : Nunquid (Iuliane) quando Angelus, aut homo aliquid vult, non natura eorum aliquid vult? Angelus, & homo naturæ non ſunt? Quis hoc dicturus eſt, quia non ſunt? Si ergo naturæ ſunt Angelus, & homo; certum eſt quia natura vult, quomodo Angelus vult, & natura vult, quod homo vult.* Inſuper Καὶ πάλιν ἑτέρωθι τῆς αὐτῆς βίβλου. Μὴ ἄρα Ἰουλιανὲ ἐξ ἀνθρώπου τὸ θέλημα τοῦ ἀνθρώπου οὐ προσέρχεται; ποίῳ δὲ τρόπῳ ἐκ τοῦ ἀνθρώπου προσέρχεται; ἐὰν μὴ ἐκ τῆς φύσεως αὐτοῦ προσέρχεται, ὁπόταν ὁ ἄνθρωπος φύσις ἐστίν. Apud Binium ita Latinè leguntur. *Et iterum alibi in eodem libro. Nunquid (Iuliane) ab homine voluntas hominis non procedit? Quomodo autem procedit; ſi vtique de natura eius non procedit, dum quando & ipſe homo natura eſt?* Græcum textum exſcripſi è Codice Bibliothecæ Barberinæ, qui exaratus anno à Virginis Partu 1628. manu Nicodemi Monachi, exceptus erat ex alio Codice Vaticanæ Bibliothecę manu Ioãnis Hieracis deſcripto anno ab Orbe condito

6860. ſiuè Chriſti Natalis 1351. Eiuſdem Synodi Lateranenſis Latinum exemplar vidi Lutetiæ Pariſiorum apud D. Ioannem Aubertum. fuerat illud exaratum calamo in membrana iuſſu Domini Didonis Epiſcopi Laudunenſis, qui vixit anno Chriſti nati 891. & contuli cum edito Latinè tomo ſecundo Conciliorum à Binio Coloniæ anno 1618.

Hæc autem Teſtimonia extant ad verbum fere libro quinto Perfecti Operis num. 40. & 56. quod Opus P. Vignier emiſit in lucem. Sunt in eadem Synodo Lateranenſe alię χρήσεις, ſiuè auctoritates Sanctorum Patrum, & inter eas lectæ fuerunt aliæ multæ Sancti Auguſtini, quæ nihil ad noſtrum ſcopum faciunt.

In Concilio autem ſexto OEcumenico Act. 4. fuit relecta Epiſtola toties laudati Agathonis, illiuſq; ac Synodi ſub eo habitæ Romæ ἀναφοραὶ, ſiuè ſuggeſtiones, atque χρήσεις, ſiuè auctoritates Sanctorum Patrum, vel potiùs earum ἑρμηνεία δι' ἑλληνικῶν γραμμάτων Διογένους τοῦ μεγαλοπρεπέως ἀ Σεκρέτις Σεκρεταρίου Βασιλικοῦ *Interpretatio per Græcas literas Diogenis Magnifici à ſecretis Imperialis Secretarij.*

Sic autem ſe habent, quæ deſumptæ ſunt è Sãcto Auguſtino, vti eas appingo, in Romana editione Græcolatina Conciliorum, non illæ quidem è libro aduerſus Maximinum Arianum, quia non ſunt ad rem noſtram; verũ, quæ in Epiſtola Pontificis Agathonis ſuperſunt, eas ingero. ὁ Σοφώτατος τῆς ἀληθείας κῆρυξ ὁ μακάριος

Α'υγου-

Αὐγουστῖνος ἐν τῷ πέμπτῳ τόμῳ διαλέξεως κατὰ
Ἰουλιανοῦ τοῦ Πελαγιανιστοῦ, τί ἐστὶ θέλημα. τούτοις
ὁρίζει ῥήμασι. Κίνησις ψυχῆς τί ἐστιν, εἰ μὴ κίνησις
φύσεως; ἡ γὰρ ψυχὴ ἀνενδοιάστως φύσις ἐστὶ διόπερ
τὸ θέλημα κίνησις φύσεως ὑπάρχει, ἐπειδὴ κίνη-
σίς ἐστι ψυχῆς. Ἰδοὺ κατὰ τὸν ὅρον τούτου σοφωτάτου
πατρὸς τί εἴη τὸ ἀνθρώπινον θέλημα δείκνυται, ὅτι
ψυχῆς κίνησίς ἐστιν. *Veritatis Prudentiſſimus
Prædicator Beatus Auguſtinus in quinto Volu-
mine diſputationis aduerſus Iulianum Pelagia-
niſtam, quid ſit Voluntas, his definit verbis.
Motus animi quid eſt niſi motus naturæ? ani-
mus enim ſine dubitatione natura eſt, proindè
Voluntas motus eſt naturæ, quoniam motus eſt
animi. Ecce per huius Prudentiſſimi Patris de-
finitionem, quid ſit humana Voluntas monſtra-
tum eſt, quia animi motus eſt.* Et deindè ὁμοί-
ως ἐν τῷ αὐτῷ ἡ ἀλήθεια δὲ λέγει. ἐφ' ὅσον ἐστὶ
θέλημά τι ἀπὸ τῆς φύσεως χωρισθῆναι οὐ δύναται.
*Item in eodem. Veritas autem dicit: Quamdiù
eſt voluntas vlla, à natura non poteſt ſeparari.*
καὶ πάλιν ἐν τῷ τόμῳ. καὶ πόθεν ἐστὶ τὸ θέλημα,
καὶ εἴρηται οὐ λογίζεται δὲ ἐὰν ἡ ἀρχαιογονία οὐκ ἐστὶ
ζητητέα, οὐ διὰ τοῦτο οὐκ ἐστὶ ζητητέα. ὅτι τὸ θέλη-
μα πόθεν οὐκ ἔστιν, ἀλλ' ὅτι πεφανέρωται πόθεν εἴη.
ἐξ ἐκείνου γὰρ ἐστὶ τὸ θέλημα οὗτινός ἐστι τὸ θέλημα,
ἀπ' Ἀγγέλου δηλονότι θέλημα Ἀγγέλου, ἀπὸ ἀν-

θρώ

θρώπου ἀνθρώπου, ἀπὸ Θεοῦ Θεοῦ. καὶ ἐὰν ἐνεργῇ ὁ Θεὸς θέλημα ἀγαθὸν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ, τοῦτο ἐνεργεῖ, ἵνα ἀνατείλῃ ἐξ αὐτοῦ ἀγαθὸν θέλημα, οὗτινός ἐστι θέλημα. *Et rurſus in eodem Volumine. Et aliundè* (ſiue alicunde, vt in margine notatur) *eſt voluntas*, & *eſſe non cognoſcitur, etſi eius origo quærenda non eſt, non propterea quærenda non eſt; quod Voluntas aliundè* (ſiuè alicundè) *non eſt, ſed quia manifeſtum eſt vnde ſit: ab illo enim eſt voluntas, cuius eſt voluntas; ab Angelo ſcilicet voluntas Angeli, ab homine hominis, à Deo Dei. Et ſi operatur Deus in homine voluntatem bonam, id agit, vt oriatur ab illo bona voluntas, cuius eſt voluntas.* Καὶ πάλιν φησί. Διὰ τί οὖν ἀρνεῖσαι κεκλεισμένοις ὀφθαλμοῖς πράγματα φανερὰ, ἀπὸ τῆς φύσεως τοῦ ἀνθρώπου ἀναφύεσθαι θέλημα τῷ ἀνθρώπῳ. ὡσαύτως αὐτὴ κίνησις τῆς ψυχῆς μηδενὸς ἀναγκάζοντος θέλημα ἐστί. . . . .
Hæc lacuna in Græco textu eſt, & è Latino poteſt ſuppleri, quam ecce. Et iterum: *Cur ergo negas clauſis oculis* (*inquit*) *res apertas, de natura hominis exoriri homini voluntatem, itemq; ipſe animi motus cogente nullo voluntas eſt, quia propter* (ſeu, quapropter)*hoc eſt*(ſeu,idem eſt) *dicere volũtas exiſtit*(ſeu,extitit)*de animi motu, quod voluntas exiſtit* (ſeu,extitit)*de voluntate.*

Deni-

Deniq; Καὶ πάλιν οὕτως. οὐκ ἀληθῶς ἄρα Ἰουλιανὲ ἐξ ἀνθρώπου θέλημα ἀνθρώπου οὐκ ἀναφύεται ὁπόταν ὁ ἄνθρωπος ἀγαθὸν ποίημα Θεοῦ εἴη; ἔπειτα δὲ ἠδυνήθη ἀνελθεῖν εἰς τὴν καρδίαν σου, φυέσθαι μὲν ἐξ ἀνθρώπου θέλημα, ἀλλ' οὐχὶ ἐκ αὐτεξουσίου αὐτοῦ; εἰπὲ οὖν, πόθεν; ἐὰν οὐχὶ ἀπὸ τῆς φύσεως, τουτέστιν οὐχὶ ἀπ' αὐτοῦ Ἀνθρώπου. *Et iterum ſic: Itane verò (Iuliane) ex homine hominis voluntas non oritur, cum homo bonum opus Dei ſit? Potuitne aſcendere in cor tuum, exoriri quidem hominis voluntatem, ſed non de Libero eius arbitrio? Dic ergo vnde? Si non de naturà (id eſt) ſi non de ipſo homine.*

Indicauit mihi prçtereà Eminẽtia Veſtra (qua eſt benignitate) teſtimonium primum illud ex Agathonis Epiſtola fuiſſe repetitum in eodem Concilio Sexto Action. 8. à Theophane Deo amabili, Presbytero, & Abbate. Georgius Archiepiſcopus Conſtantinopolis cuncta teſtimonia Sanctorum, & probabilium Patrum, quæ continebantur in ſuggeſtionibus directis ad Imperatores tam ab Agathone Papa, quam ab eius Synodo, repoſitiſque in venerabili Patriarchio, ſe inſpexiſſe, ſcrutatum fuiſſe, ac inueniſſe aſſerit conſonantia, & illis conſentire teſtatur Action. 8. Concilij ſexti ſupraſcripti. Idem autem Theophanes, vt conuinceret Macarium Archiepiſcopum Antiochenum, Stephanum illius Diſcipulum, & alios Monothelitas, duo profert teſtimonia, vnum Sancti Athanaſij de libro

Huma-

Humanationis aduerſus Apollinarem, & aliud Sancti Auguſtini Epiſcopi Hipponis ex quinto libro aduerſus Iulianum Pelagianiſtam, iſta continens verba p.97. Κίνησις ψυχῆς τί ἐστιν, εἰ μὴ κίνησις φύσεως; ἡ γὰρ ψυχὴ ἀναμφιβόλως φύσις ἐστίν. διόπερ τὸ θέλημα κίνησις φύσεως ὑπάρχει, ἐπειδὴ κίνησίς ἐστι ψυχῆς. *Motus animi quid eſt niſi motus naturæ? anima enim ſine dubitatione natura eſt; et ideò voluntas motus eſt naturæ, quia motus eſt animæ.* Quin & hoc ipſum teſtimoniũ ſuperiùs allatum denuò inculcatur relectum, atque collatum ad librum Latinis literis ſcriptũ, haud dubiè Bibliothecæ Patriarchij Conſtantinopolitani p.99. interpretante Conſtantino Presbytero, ac Defenſore Magnæ Eccleſiæ Cõſtantinopolitanæ, ac Latino Grammatico, cum Codicillus Paternorum teſtimoniorum porrectus Action.7. p. 77. à parte Apoſtolicæ Sedis antiquæ Romæ, tum fuiſſet reſignatus ac relectus Action. 10. eiuſdem ſexti Concilij p. 125.

Laudauerat antea Sanctum Auguſtinum Macarius Archiepiſcopus Antiochenus iuſſus edicere, quæ in duobus Codicillis prolatis Act. 5. coaceruans deflorarat, Patrum teſtimonia cum Stephano Diſcipulo ſuo,& quid ambo ſentirent, ab Imperatore Conſtantino Action.8. in Secretario Trulli, reſponditq; de Chriſto in Confeſſione ſua p. 87. hiſce verbis: Ὁ γὰρ ἓν θέλημα ἔχων πρὸς ὑποδοχὴν τῶν παθῶν τούτων ἁπάντων. μίαν καὶ τὴν αὐτὴν εἶχε δύναμιν πρὸς ὑπομονὴν

τούτων

τούτων ἁπάντων, κατὰ τὸν ἅγιον, καὶ ἔκκριτον Αὐγουστῖνον. *Qui enim vnam voluntatem habens* (Chriſti nempè)in margine Crabbianæ editionis anno 1538. Coloniæ adſcribitur (ad humanam) vbicumque eſt(vnam) *et ad ſuſceptionem harum omnium paſſionum idoneus, vnam, eamdemque habuit virtutem ad tolerantiam harum omnium, ſecundùm Sanctum, et acceptabilem Auguſtinũ.* Sed vbinam Sanctus Auguſtinus id ſcripſerit, quandoquidem Macarius diſertè, ac ſigillatim non enunciauit, necdum comperi, licèt inueſtigauerim, & hoc teſtimonium detruncatum, & intercisũm arbitror, vt alia pleraque fatetur à ſe mutilata, & ad proprium intentum traducta, & conuincitur à Patribus.

Neque verò ambigendum eſt vllatenus, quin Aquileienſis Epiſcopus Maximus Latinè loquutus fuerit ea in Synodo Lateranenſe ſub S. Martino primo,& ipſa Synodus Latinè fuerit conſcripta, & in Græcum ſermonem poſteà verſa, vel Conſtantinopoli, vel alibi. Epiſtola etiam Agathonis, quam interpretatus Græcè fuit in Synodo ſexta OEcumenica Diogenes à Secretis Imperialis. Vti & χρήσεις, ſiue Auctoritates è Sancto Auguſtino decerptæ, prolatæque duabus in Synodis Romanis ſub Martino Primo, & ſub Agathone, lectæque in Synodo Sexta, & quas protulit Theophanes, & quas contulit Conſtantinus Defenſor ibidem, Latinè quoque conceptæ fuerant, præſertim à Sancto Auguſtino Auctore Latinè ſcriptæ: imò exemplar Latinum erat Cõ-

ſtantinopoli, ad quod eæ collatæ ſunt. Conuerſæ deindè fuerunt in Græcam linguam, vt in Thracia, vbi Græca illa lingua vigebat, intelligerentur: at cum è Byzantio in Vrbem reuectæ fuiſſent cum Actis Concilij ſexti, quaſi poſtliminio Latinitati redditæ ſunt.

In hiſce verò peregrinationibus, & verſionibus plurimum paſſæ fuere detrlmẽtum, vti comparanti teſtimonia iſta Sancti Auguſtini cum his, quæ ſuperſunt in numeris 40. 42, 43. 56. & 69. libri quinti operis Perfecti, quod exhibuit è Codice Claraualleníis Abbatis R. P. Vignier liquidò patebit: nec enim ſunt ad verbum expreſſa omnia, imò luxatæ ſententiæ, immutatæque, non corrumpentes tamen ſenſum, ſed obſcuriorem reddentes: extant tamen aliquæ de verbo ad verbum redditæ, præſertim vbi voluntas animi definitur motus. Fatetur ipſe P. Vignier ingenuè Codicem illum mẽdoſum ſcatere σφάλμασι, ſeu erroribus, maculatumque, ac inquinatum fœdè non diſſimulat.

Vnum eximere ſatagam libro primo num. 48. Exhalas (inquit Iulianus) triſtius, & horridius aliquid, quam vel Conſenſis Vallis, vel Puteus Auerni, vbi legendum eſt Concheenſis Vallis. Soli Lycophroni in Alexandra memoratur verſu 869. ὕδωρ Κογχείας, aqua nempe Concheæ, de qua nihil adhuc apud vllum alium Auctorem ſe reperiſſe Canterus in notis ibi affirmat. At Cluuerius diſpectu difficillimam putat, & conijcit eſſe Κογχέαν λίμνην, ſeu Stagnum, aut lacum ſulphureum malè olentẽ, atq; fœtentẽ in Sicilia,

vul-

vulgòque dici Biſſanam, & ſitum eius locat inter Agrigentum, & Biuonam; deque Lacu illo, ſeu Stagno agere Solinum refert, vbi de Inſula Sicilia hæc prodit. Gelonium ſtagnum tetro odore abigit proximantes. Argui poteſt hinc in Sicilia fuiſſe Iulianum, cum ſcriberet, & ſumpſiſse nomina locorum Campaniæ, è qua ortus, Eclanenſem & in qua obtinebat Epiſcopatum & Siciliæ, in quā ſeceſſerat, & vbi ſitus eſt, vti patet ex Epitaphio, quod ibi nono ſæculo lectum profert Vignier.

Aliæ quoque operarum maculæ, atque menda ſunt, quæ non eſt huius loci recenſere. Interea verò dū peruoluo Aurea S. Aurelij Auguſtini Opera, non poſſum quin Doctoris egregij prędicem celeberrimam auctoritatem, quæ tanti fuit apud Patres ſexti huius Concilij, in quo Eccleſiarum Romanæ, atque Conſtantinopolitanæ tamdiù diuulſarum concordia feliciter extitit renouata, vt Dogmata Sancti Auguſtini eſſent Palmaria, & abs Eois non minùs quam ab Occiduis vnanimi conſenſu ſuſcepta comprobarentur; ab Hæreticis etiam, ſicut à Catholicis proferrentur tamquam λόγια θεῖα, ideſt Oracula Diuina, Virq; omniū Virtutum (ſic eū cōpellat in Synodo Gregorius Papa VII.) quaſi pius quidā Alcibiades ipſe Auguſtinus vnde ſtetiſſet, eo ſe victoria transferret. Magnus profectò Auguſtinus, quoad vixit, à Veritate Catholica ſtetit eam validè propugnans, & non ſolum ſemper inuictus; verum etiam debellatis Hæreſibus victor ſemper extitit, ac Triumphator Magnificus.

E re igitur erit Chriſtiana, & Literaria libros illos mendis expurgare, Sanctique Auguſtini poſtremum fœtum nitori ſuo reſtituere. Et quando luculentis iſtis Sanctorum Martini Primi, & Agathonis Pontificum Summorum teſtimonijs, Patrumque ſexti Concilij OEcumenici, & Lateranenſium ambarum Synodorum ipſos quaſi validiſſimis fultos repagulis Veſtræ Eminentiæ auſpicijs, munitoſque poſteri gaudebunt; nævis inſuper, & hiatibus ſublatis ſplendidiores, atque pleniores Eminentiæ prætereà Veſtræ ductu admirentur.



DISSERTATIO TERTIA.
DE
CROCEA VESTE
EMINENTISS.^MI ET REVERENDISS.^MI
S. R. E.
CARDINALIVM
IN CONCLAVI.

Eminent.^mo & Reuerend.^me Princeps.

TAnta fuit varietas Veſtium, vti docet Syneſius in Oratione de Regno, pro diuerſitate temporum, atque gentium, quæ longo incedunt ordine

Quam variæ linguis, habitu tam veſtis, & armis.

quemadmodum canit Virgilius lib. 5. Æneid. & Tertullianus agnoſcit in lib. de Pallio rerum humanarum viciſſitudinem in mutationibus etiã Veſtificinæ proſequutus, vt difficillimum ſit perindè, ac laborioſiſſimum de Veſtium multiplicibus patraturis certum ferre iudicium. Præſertim verò Monachis longè, latèque per Terrarũ Orbem propagatis, & in tot ſæculorum decurſu jam inde à Chriſto nato diffuſis ecquis certa queat indumenta tribuere? Siquidem Lunæ Veſtem aptam ſibi à Matre flagitanti propter multiformes eius figuras, nullo modo peritiſſimi Veſtifices adhibiti potuere ſatisfacere; veluti narrat fabuloſè Plutarchus Tom. 1. Opuſcul. Eſt autem Eccleſia pulchra, vt Luna. Cantic. c.6.v.9.

& circumdata varietate, atque varietatibus circumamicta, Pſalm. 44. v. 10. & 15. Innocentius autem III. Liuonienſi Epiſcopo, & eis, qui cum ipſo ſunt fratribus, in c. Deus 11. ext. de Vita, & honeſtat. Clericorum reſcribit, & mandat, ne (ſi diſſimilis habitus fratrum fuerit apud eos, quibus vnum Euangelium prædicant)ſcandalum generetur; vt omnes ſe ad vnum etiam honeſtũ habitum conformarent.

Crocea Veſtis, quæ infrà deſcribetur, ab Eminentiſſimis S.R.E. Cardinalibus in Conclaui geſtari ſolita, malè cum Clocca miſcetur. *Clocca* quippè vocatur æs Campanum, ſeu tintinnabulum à Gallica voce *Cloche* deducta à verbo Latino *claudicare*, Gallicè *Clocher*, quia vnico malleo percuſſa ſonat, vnde *Clocherium*, pinnaculum; Falconi Beneuentano in Chronico; à pinnis, ſeu pennis. Græcis πτερύγιον, ſeu Πτέρωμα, ſiuè Αέτωμα quaſi Aquilæ alas paſſas referens, & *Campanile* c. ex literis 2. ext. de Homicidio volunt. *Nolarium* S. Antonino tom. 3. Chron. Sanctus Paulinus Nolanus Epiſcopus in Cãpania primus tintinnabulis vſus eſt in Eccleſiaſticis Officijs, indè *Nolæ* dictæ ſunt, & Campanæ c. Ioannes ext. de Homicid. Alciat. c. 11. l. 9. Parerg. Iur. Galli *beffroi* etiam nuncupant: Laur. Bouchel in Theſauro Iur. Gallic. quaſi *l'effroi*, ideſt terrorem, Paſquier. c. 54. lib. 6. *des Recherch de France*, immò quaſi *bannum fredi*, ſiue pacis exilium, Romanis, *allo ſtormo*. Facti ſpecies in ſchiſmate Clementis Gebenneñ Antipapæ VII. m.s. Pariſienſibus *tan-*

guehan,

256

guehan, ſeu tange malum, ſeu *toc ſain*, tangens ſanguinem, Auctor Maris Hiſtoriarum. Græcis κώδων χαλκόςομος *ore ſonans æneo.* Suid. Nicetæ; & alis *tintinnabulum* à ſonitu Iuuenalis *Satyr.* 6. Plin. lib. 36.c.11.Martial. l.14. Epigr. 136. Sueton in Auguſt. cap. 93. cuius vſus in Thermis, vndè Thermarum æs. In Templo Iouis Tonantis faſtigium redimitũ Tintinnabulis fuit ab Auguſto. Tunica hyacinthina Sacerdotis deorſum Tintinnabula habuit aurea. Exodi c.28. v.33.

Crocea(inquam)Veſtis mihi videbatur à croco deſumpta, ſiuè à croci colore, quem rubentem appellat Virgilius 4.Georgicon,vel à ſtamine,ſeù Villo,qui Græcis κρόκη, è quo conſtabat Heſiodo Aurora κρωκόπεπλος, Croceum ei cubile tribuit cum Tithono Virgilius libr. 1. Georg. &l.4. Æneid.qui Croceam Chlamydem lib. 11. Æneid. vocat, & lib. 9. pictam croco. Paulus Iuriſconſultus in l. quæſitum D. de Legat. 3. & Crocinum nominat §. Coccum ex Haloandro, vbi legunt alij Coracinum, vide Alciat. c.1. lib. 2. Parerg. Crocotæ Veſtes ſunt delicatæ, & molles, atq; muliebres, hinc Prouerbium γάλῃ κροκωτον, ideſt feli crocota, cum indignis honor exhibetur. *Suidæ* Veſtis eſt orbiculata, hinc nomen Crocotulæ, & Crocotarij, Hercules κροκωτόφορος, ideſt ferens Crocotam à croco dictam, vel infectam colore croci, vel Crocotularij, Plauto, Næuio. Auctori Adagiorum: eſt & ἐπίκροκος. Varron. Feſto, Philoxen Crocota eſt genus,amiculi croco tinctum. Voſſio Croco-

tion

tion. Iſtę Crocotę à Nænio Malacæ,& Mortuales dicũtur, vnde Crocea Cardinaliũ in luctu ob demortuũ Põtificem aſſumpta nomen potuiſſet trahere,& Crocotia per apocopen Crocia appellari.

At Eminentia Veſtra, quæ pluſquam Poëta, qui auia peragrabat loca nullius pede antea trita, quidquid videtur imperuium, minimè relinquit intentatum, cum me videret torqueri, atque cruciari circa Groceam iſtam; eius originem, , etymumq; adeò feliciter inueſtigauit, nec tantum pluſquam fauente Apolline diuinauit, ſed & dextro Mercurio adinuenit, Mineruæque calculo comprobauit arceſſens, & euoluens tabulas Corbeienſis Cœnobij S.Petro dicati, ſiue Statuta c.3. apud Lucam d'Achery Tom. 4. Spicileg. vbi ſunt iſta verba: *Cæterum Cappellæ hroccus, ſiue Cuculla de ſago vnde hroccus fieri poſſit*: ad quæ appingit ipſe d'Achery in margine, *Cappæ diminutiuum Clamydem interpretor, & hroccus veſtem ſupremam ſignificat; hinc Itali Rochettum vocitant, vel frocus, floccuſue, qui pro veſte hic, quæ totum à capite corpus tegit vſurpatur*. Inde rem acu tangens Eminentia Veſtra infert hroccum Cappellæ Cruciam eſſe, & ob tranſitum vocis (hroccus) in vocem (croccus) & conuerſionem elementorum hr, in fl; è qua floccus dicitur, qui froccus hodieq; appellatur. Nam Rochettus inde non videtur deriuari, ſicut laudatiſſimus Holſteinius tentabat, à Germanico vocabulo *Chorrok*, ſeu *Choralla*, vel à Græco Ῥοῦχος, vel Ῥούχιος apud Meurſium in Dictionario Græco-Barbaro, hroccumque vocari aſſerebat Veſtem oblongam virilem, at pallam mu-

liebrem

liebrem ſtriatam *ſtripen rock*, ſolemnem autem magiſtratus *Hoſtrock*. Londinenſes baiuli lineam veſtem ſuperindutam froc, & floc nuncupant, vti teſtantur Spelmannus in Gloſſario voce *frocca*, & Voſſius in libro de Vitijs ſermonis Latini l. 2. c.16. Vaſcones quoque r, pro l, pronunciant, & pro f, efferunt c. Vnde frocci flocci, atque Croceæ vocabula promiſcuè ſumpta ſunt; neque mirum ſi Francici etiam idiomatis, quod non à Germanico adeò diſſonabat, hroccum in croccum mutauit vſus; nam Hludouicū, vti legitur vetuſtis in Numis, ſculpebant, & enunciabant Franci, perinde atque Cludouicum. Adnotauit id Sauaro in libro Gallico de Sāctitate Clodouei Primi Francorum Regis. Rocchettum verò quaſi rugatum à rugis dictum ego cenſebam, ſeu à Plicis, & Sinibus, de quibus alibi agebam ſatis fusè. Subſequor Eminentiæ Veſtræ obſeruationes. in Chronico Centulenſi S.Richarij, inq; Tomo eodem d'Achery lib.3. c.3. memorantur *hrocci Serici* 15. *Lanei* 11. *& Croccus pectoralis*, quos explicat idē d' Achery froccos, & lib. 2.c.2.Conſuetudinum Cluniacenſium antiquarum. *Capellum, ſeu Caputium frocco Nouitiorum aſſuitur, ſi ſint pauci, & ſi ſint plures aufertur*, & lib.3. cap.8. *puero, qui cum Laici, vel Clericali habitu venit, Abbas Capellum de frocco eius iubet auferri, & cucullam ei dandam benedicit*: & c. 27. *Profeſsi froccos exuunt, & cucullam induunt*: rurſus de frocco c. 6. & 3. & l. 3. c. 3. *Deq; Cappa lanea, quæ induebatur ſuper Caballum, priuſquam froccus præcingeretur*: tum ex Cardinalis de Turrecremata expoſitione in c. 121.

Regulæ Sancti Benedicti, & Clementina prima de Statu Monachorum, confuſam cucullam cum flocco docetur, & ab ipſo Clemente V. Papa diſtinctam, ita vt intelligatur Cuculla, longus, & amplus habitus ſine manicis; at floccus cum manicis largis, & amplis, & cum Caputio. Concluditurq; Cruciam, ſeu Croceam eſſe ſimilem flocco, ſeu frocco, permiſto cum Cuculla, manicaſque olim habuiſſe arctas, & oblongas, inſtarque togarum, quibus vtuntur Magni Magiſtri Equitum Sancti Ioannis Hieroſolymitani, & Conſiſtoriales Aduocati, atque haud ita pridem vtebantur Parochi Romani, cum verò Manicæ illæ forent inutiles, atque ſuperuacaneæ, fuere reciſæ.

Deſcribit Croceam Chriſtophorus Marcellus electus Archiepiſcopus Corcyrenſis, ſiue quis alius eſt Auctor Librorum Ritualium S.R.E. hiſce verbis lib. 1. cap. 4. de Pontif. Elect. *Eſt autem Crocea genus Chlamydis longæ ad terram vſq; à parte anteriore, aperta à ſummo ad imum, circà collare rugoſa, in formam Capparum Prælatorum, ſi demas Cucullum*, At Iulius Lauorius in Elucubrationibus varijs, vbi agit de Conclaui l. 1. c. 5. num. 7. eam ita graphicè depingit. *Eſt Crocea* (inquit) *genus Chlamydis longæ vſque ad terram ab anteriore parte adapertæ, laneæ, à ſummo vſque ad imum violacei coloris, ſed à parte poſteriore habet caudā; & circa collare eſt rugoſa, & ad formam Capparum Prælatorum dempto Cucullo*; è quibus Chlamidis, ſeu mātelli talaris cū Cauda, & rugis forma. Quin & materia è lana ſatis colligitur. Vterque demit Cucullum, attamen Franciſcus

Seſtini in libro de Præfecto Cameræ c. 10. ſupra Croceam retrò, Mozzettæ, ſeu Colobij, aut Camelaucij mutilati Caputium erigendum putat. Sed & de Crucia, ſeu Crocea Cardinalium, Barboſa lib. 1. de Vniuerſ. Iur. Eccleſ. c. 1. n.87.

Geſtatur autem à S.R.E.Cardinalibus in Conclaui, nam vt adijcit Marcellus. Cum Collegialiter à Patribus eſt aliquid agendum, illi vtuntur Croceis obſcuris, & ſubtus paruo Caputio ſupra Rochettum. At Lauorius attexit in Acceſſu ad Scrutinium, vel alios actus, qui intus Conclaue collegialiter fiunt, Cardinales vtuntur Croceis obſcuris, idque Gregorius XV. in Bulla de Canonica electione diſertè præſcribit: dicens: *Croceis vtantur in Electione, et alijs Actibus Collegialiter faciendis* §. *clauſo* L. C. vt Lauorius ibidem refert de Elect. Canonic. tit.4. c.10.n.12. Sed & Marcellus l.2. Rit. S. R. E. c. 24. obſeruat cum Pontifex Manto de Roſato vtitur, quod Prælati Aſſiſtentes non debent habere Cappas, ſed Mātellos, quos Aſſiſtentium Crocias vocant. In lib. Cæremoniarum Rom.Curiæ vſq; ad Pontificatū Nicolai Papæ V. ſcripto à Ioanne de Dauentria Traiectenſis Diœceſis, vbi agit de Sanctiſſimo D N. exeunte aliquam Ciuitatem, vel intrante. *Demum venit Sacriſta, debet eſſe cum Cappa, et Cappello, et extra Ciuitatem cum Croceys*: Cuius notæ indiciū debeo Doctiſſimo Abbati Carolo Morono Bibliothecæ Barberinæ Præfecto, qui mihi quoq; indicauit ex Vianeſij Albergati Cōmentarijs ſui temporis in Comitijs Clementis Septimi ſcriptum: *Cardinales ſumptis de more veſtibus violaceis forma, & colore ſimillimis,*

quibus dum ſuffragia ineunt, vtuntur, quas Crucias vocant, quia declinantes à purpura, & faſtum deponi, et vnam ab omnibus ad rectum, bonum, bonamque mentem afferri debere ſignicant in Sacellum Diui Nicolai, qui maximorum Comitiorum locus eſt, conuenerunt. Cardinalis Papienſis Commentar. lib. 2. hæc refert: *Manè Patres omnes induti Pallijs à ſummo deorſum apertis, quas Crocias vocant in Cellam B. Nicolai*, &c. *conuenerunt*, loquens de Conclaui anno 1464. habito, in quo Paulus Secundus electus fuit. At in Conclauium Volumine *Cardinales amicti Croceis, quas Veſtes geſtare conſueuerunt, quoties ad Scrutinium, et Electionem Papæ congregantur*. D. Magri Croceas Cardinalium aſſimilat Cappæ à Romano Pontifice in nocte Natalis Chriſti geſtari ſolitæ iam inde à Bonifacio Nono, & Cucullæ ſine Manicis, ſeù flocco nigro Magni Magiſtri Equitum S. Ioannis Hieroſolymitani, ſuper quem Gelaſius Secundus ei cãdidam Crucem Octogonam vt deferret cõceſſit anno 1118. vti ſuper albam Cucullam ſeu floccum Templarijs dedit Crucem rubram Eugenius III. ſed quam aptè, congruèque Vir eruditus id cogitarit, non eſt iſtius loci diſquirere, illam ego togam Magni Magiſtri, à Cruce denominatam Crociam ſuſpicor.

Eminentia profectò Veſtra iure cenſet apud Hieremiam Threnor. c. 14. v. 5. vbi Græcè legitur οἱ τιθηνούμενοι ἐπὶ κόκκον, legendum, qui nutriebantur, non in Croceis, ſed in Cocceis, quod eſt, Cocco imbutis, vti vetus Interpres habebat

251

bebat, & Salmaſius in Hiſtor. Auguſt. affirmat: Arias quidem Montanus Coccinum vertit, & Chlamydem Coccineam pro rufo limbo, quo veteres Reges vtebantur, accipi Hieronymus in cap. 27. Matth. adnotat.

Quemadmodum color ruber apud Põtificem Romanum mœroris, & luctus indicium eſt, ideò feria ſexta Maioris Hebdomadæ Papa Cappam rubeam induit. Rit. S. R. E. lib. 2. c. 2. & in Commemoratione animarum, atque in Anniuerſario Pontificis Anteceſſoris l. 2. c. 26. & c. 31. idque videtur conſuetudini conſonum Græcorũ, penes, quos veſtimenta purpurea ſunt luctus inſignia, teſte Codino Curopalata lib. de Offic. Eccl. & Aulæ Conſtantinopolitanæ & lib. 2. c. 16. numer. 10. Gretſerus in Commentar. Ita S.R.E. Cardinales violaceo, ſeu Ianthino colore Palliorum, & Veſtium, ſignificant luctum. Scriptor Mercurij Gallo-Belgici narrat in Cardinalis Legati Ferrariam ingrediẽtis pompa colorem illum geſtarum quaſi funebrem. Ob mœſtitiam igitur quam è morte contraxere defuncti Pontificis, cui alium ſufficere ſatagunt, viduatamque Paſtore ſuo Eccleſiam, tinctæ ſunt Croceæ obſcuro purpuræ, ſeu Cocci colore, ac violaceo. Binius in notis ad Concilia Granos ita exponit Veſtes atras lugubres, & talares cũ Capu tio, quo caput obuoluitur, & Cauda, ſeu ſyrmate, quo verritur humus, & illis ait Hiſpanos vti, quando funera proſequuntur, & Gramallas vocitare, Grani autem ſunt flagella ſuperiacentium crinium è Concilio Bracarenſi, & Iſidoro lib. 19. Origin. & Sauarone, ac Sirmondo in Epiſt. 3.

lib. 3.

lib.3. Sidonij Gramallas autẽ ἀπὸ τῆς γρυμαίας, quæ Polluci quoddam genus eſt peræ, vnde qui peras vendit, Lucian. γρυμαιοπώλης nuncupatur, quia caput tamquam in pera veſtes illæ recondunt, deriuarem. Abbates Ordinis Sancti Benedicti, imò & Monachi violaceo perfuſis colore veſtibus amiciebantur. Ita veſtiti pinguntur Pharphenſes ad Supponem vſque, qui trigeſimus quintus numeratur, & anno 1040. vixit; prodit id Conſtantinus Caietanus lib. de Sancti Gregorij Monachatu in Additt. ἀμαράντινοι τῆς δικαιοσύνης στέφανοι *Iuſtitiæ coronæ Amarantinæ*, ſeu purpureæ ſuboſcuræ, ac violaceæ commemorantur in Vita Sanctorum Quirici, & Ivlittæ Martyrum apud Metaphraſten in Codice Vaticano. Huiuſmodi Croceam à Monachis Benedictinis non ãbigo quin S.R.E.Cardinales acceperint, vti Pontifices ab illis plurima ſumpſere, tum propter multos Pontifices, qui eo ex Ordine ad Sancti Petri Solium fuerunt euecti; tum propter ipſorum Pontificum apud Benedictina Cœnobia, & Caſinenſe præſertim, diuturnam moram; tum etiam ob Chriſtianæ pietatis obſeruantiam ſingularem, quæ in Sacris eius Ordinis Cœtibus eſſloreſcebat. Cucullam ergo ſibi adaptarunt S.R.E. Cardinales, quæ formam Crucis exprimebat, vt Gemmæ auctor aſſeuerat l. 2. c. 37. Cruciferi apud Græcos ſunt inſtar Cardinalium, ſi qua fides doctiſſimo Epiſcopo Apameenſi Spondano in Annalibus Eccleſiaſticis ad annum 1438. Theophilo Raynaudo lib. de Pileo; & Leoni Allatio aduerſus Chreygton

ſcapu-

Scapulare Monachicum Græcis κατανώτιος, cap. 88. S. Ephrem. cap. 134. Ioannis Moſchi. ἐπώμιον S. Athanaſ. de Virginit. ἐπωμάδιον. Heſyc. in Vita Arſenij, & apud Macariũ Chryſocephalum. Quin & ἀνάλαβος, Mich. Pſell. de Operat. Dæmon, ἀπὸ τοῦ ἀναλαμβάνειν, ideſt cõprehendere. Suid. Caſſian. lib. 1. c. 6. de Habit. Monach. aliter in modum Crucis. Doroth. in Doctrin. Monach. S. Ephrem. in Vita S. Iulian. Chryſocephal. de Crucis Exaltat. in Euchalog. *Aſſumit Monachus Crucẽ ſuper humeros Chriſtum ſequens*, S. Guillelmi Vit. Gellonẽ. *Veſte Apoſtolica inſtar Crucis induitur*, Scapulare inquam Crucis figuram refert, cum duobus Pannis hinc inde pendentibus latius per humeros, & ſcapulas exſpatietur, & Patientiam nominant illud, quia Chriſti Paſſionem deſignat, quod vti πάρεργον adnoto.

Cuculla verò, licet à flocco diſtinguat eam Clemens V. in ſupra laudata Clementina Prima, quæ incipit, *Ne in agro* de Stat. Monach., quia vti cenſet Cardinalis à Turrecremata, non vbiq; recepta fuit illa Clementina; cum frocco, ſeu flocco accipitur pro eadem Veſte, idque Auctor Notarum in c. 55. Regulæ S. Benedicti affirmat, & Veſtimentum exterius ſuper alia, quod Caſinenſes, & Ciſtercienſes vocitabant Cucullam à Cluniacenſibus appellari froccum, ſeu floccum fortè, quia fieret è lana non attonſa, ſed villoſa, & floccos habente; à flocco autem litera immutata dictus eſt froccus apud Francos,

ſæpiſ

ſæpiſſimè quippe iſtæ duæ liquidæ l, & r, commutantur, & de hac cõmutatione ſuperius fusè diſſerui, & potiùs à Hrocco, Frocceum, & exindè Crocceam ab Eminentia Veſtra deduci certiſſimè comprobaui. Græci floccum nuncupant κρόκιδα, vti Plutarchus, & alij Claſſici Scriptores, vnde κροκοδίζέιν dicuntur non Phrenetici ſolum, qui floccos moribundi colligunt, ſed Adulatores inſuper, vt illa Valeria Romana, quæ Syllæ cognomine Felicis è Veſte floccos excerpebat, vt felicitatis aliquid vel ſic delibaret; apud Suid. in λαβερία. Eſt & amphimallum, quod vtrimque villoſum Latinè redditur, vulgòque vellutum. teſte Bayſio de Re Veſtiar. & Coloribus; cui opponitur Raſum Græcis ῥάσον vilis, tenuiſque Veſtis è panno ex pilis, craſſaq; lana contexto, Monachis, & militibus in vſu. Nicetas Choniates eius meminit in Lexico manuſcripto Vaticanæ Bibliothecæ, fides ſit penes Conſtantinum Caietanum lib. de Monachatu *Sancti Gregorij*; amphimallum pectorale memorat *Sanctus* Gregorius M. lib. 10. Epiſt. 52. ſed & amphibalum *Sancto* Martino circumiectum *Seuerus Sulpitius* in eius Vita Dialogo tertio, de Rocco *Sancti* Martini agit Auctor Vitæ Caroli M. *San-Gallenſis*, & Helgaldus in Vita Roberti Regis Francorum vocem Rocci linguæ ruſticæ imputat, Recenſetur, & Roccus apud Ingulphum in Hiſtor. Croiland. Cucullam, ſub qua *S.* Cæſarius manum habebat, *Scriptor* eius Vitæ, Caſulam, ſiuè floccum explanat in Chronolog. Lirineñ, Habitum Monachalem

vti

vti Theodemarus in Epiſtola ſub nomine Pauli Diaconi ad Carolum M. Habuit Cuculla olim manicas, tum illis caruit, nec eadem fuit omni tempore Cucullæ forma, vt obſeruat Abbas de Nuce in Notis ſuis ad Chronicon Caſinenſe.

Huic ergo Cucullæ, ſiue brocco, vel flocco, aut frocco, & nomen Croceæ dederunt S. R. E. Cardinales, aut potius Canonarchæ, ita nuncupantur apud Codinum laudatum Præfecti Rituum, ſeu Magiſtri Cæremoniarum, & adtexuerunt caudam, ornamenti, & maieſtatis gratia. Alciatus in Commentario ad tit. Pandectarũ de Verb.ſignific.nominare videtur Abbates quoſdã ἑλκεσιπέπλους, id eſt, trahentes veſtimenta, quo nomine appellabat Troadas Homerus.

Αἰδέομαι Τρῶας ϗ Τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους.

Vereor Troas, & Troadas veſtimenta trahentes.

canit ille, at apud Satyrographum Latinum alius

Longam traxit per pulpita Veſtem.

Notiora sũt Syrmata Veſtium apud Martialem, Senecam, & alios, quam vt ea prolixè hic ingeram ad tædium. Eſther c.15. v. 7. *Altera ſamularum Eſther ſequebatur Dominam, defluentia in humum indumenta ſuſtentans.*

Supereſt vt Eminentiæ Veſtræ preces porrigam, quo mihi condonet, ſi calore quodam nimio iſta effudi, ſtudioque obſequendi, nobiliſſimas curas, quas ipſa Eccleſiæ tanta cum pietate impendit, ſchediaſmate hoc interpellaui, veniam certè, dum benignitatis

tot in me monumenta gratus agnoſco, me impetraturum confido, & cui tantum debeo, plus etiam ſemper debere ambio, quòque magis ætate progredior, eò amplius Eminentiæ Veſtræ ſentio erga me aceruos excreſcere beneficiorum.

252

DISSERTATIO QVARTA.

DE M. LABORANTE S.R.E. CARDINALE FLORENTINO.

Emin.^me^ & Reu.^me^ Princeps.

QVando Mortalium res attenta cogitatione perluſtro, eas potiſſimum, quæ à Chriſto Nato ad nos vſque fluxerunt; ſubit tunc animum meum grauior admiratio Diuinæ Prouidentiæ erga Sanctã Romanam Eccleſiam; quæ cum aliæ ſcilicet Eccleſiæ, Antiochiæ, vbi primum nomen Chriſtianum exortum eſt. Act. c. 11. v. 26. quæque ob Diœceſeos latitudinem Epiſcopo ſuo Catholici nomen adſciuit; Alexandriæ, quæ ob amplitudinem Barathrum mundi vocitata eſt, vt teſtatur Euſtath. in Dionyſ. Afr. περιήγησιν; Hieroſolymæ, in qua Chriſtus Dominus Operæpretium ſalutis noſtræ confecit; Conſtantinopolis demum, quæ non ſolùm Imperij Sedem à Roma Vetere diuulſam ſibi aſſeruit, ſed & Principatum Sacrum ſibi vendicare conata, illius perpetua fuit æmula; cum (inquam) iſtæ iaceant Eccleſiæ, gemantque ſub duriſſimo Turcicæ Tyrannidis iugo miſerabilem in modum oppreſſæ, Romana tamen ipſa, vtroque Imperio ſacro, profanoq; coniuncto vigeat

geat, & reliquarum Magiſtra in dies lætius efflorefcat.

Diuino quippe nutu in rebus aduerſis, quibus atteri, confringique ſolent hominum Monarchiæ, non ſolum Eccleſiæ Romanæ fuerunt clauo admoti Magnanimi, Generoſiq; Pontifices; verum & ipſorum vita producta fuit ad multos annos, vt quod Romanum,atque præcipuè Chriſtianum eſt, fortia ſicuti conſtanter paterentur, ita perficerent animosè.

Cum Eccleſiam Chriſtus illam ſuam ædificauit, fundamenta iaciens Petrum delegit Petram inconcuſſam Fidei, & eum tot inter turbines, dum vbique ipſi contradiceretur. Act. c. 28.v. 1. in Vrbe Sedem ſuam collocare, annoſque quinque ſupra viginti præſidere voluit.

Diù poſteà, Decumano quaſi fluctu perſequutionum in Chriſtianos intumeſcente, ac ingruẽte ſub Diocletiano, Maximiano, Maxentio, atq; Licinio impijs, AA. Sylueſtrum in Petri Cathedra conſtituit Chriſtus, à quo Conſtantinus A. Magnus Sacris ablutus Lymphis procellas, quibus area Eccleſiæ ventilabatur, diſcuſſit, ac repreſſit, tranquillamque ſerenitatem firmauit, Sylueſtri autem vitam prorogauit, ac Sedem ad annos plus minus 22. protraxit; ſeu annos 21. & menſes decem, vti computant Cardinales Baronius, & Bellarminus.

Poſtquam verò Vrbs à Gotthis capta, & direpta ſub Alarico,perturbabatur,Hunnorum,quos Attila ductabat, formidine, vltimum expectans excidium, Leonem Magnum illi oppoſuit, qui Legationem liberam ſuſcipiens, Attilam terruit

Apo-

 263

Apoſtolico fultus præſidio, coegitque regredi, vniuerſam Italiam ob imminenti periculo liberans, & Hęreſes quamplurimas contriuit, ſedens per annos ferè 21.

Hadrianus verò Primus cum Italia, & Eccleſiaſtica ditio Longobardorum armis vehementer concuſſa nutaret, excitato Carolo Magno eam ſtabilitam Patrimonijs adauxit, & Imperio in Occidentem translato roborauit, vixit autem in Pontificatu annos tres ſupra viginti, & menſes decem ac dies 17. nec vllus, aut Anteceſſorum, aut Succeſſorum eò vſque pertigit. ex Anaſtaſio, & Cardinalibus Baronio, & Bellarmino.

Quid Alexander Tertius iactatus, & exagitatus ab Imperatore Friderico Primo, & à tribus Antipapis, nonne 22. annos expleuit in Petri Solio, ſuperauitque omnes illas ærumnas, & Lateranenſi Concilio habito Romanam Eccleſiam inſtaurauit?

His accenſendus eſt Vrbanus VIII. cuius Heroica Virtus varijs exercita caſibus, quibus ſemper ſuperior extitit, de Republica Chriſtiana optimè merendi per totidē annòs fermè, 22. nempè quibus in Throno ille ſedit, eiuſque auctoritatem validiſſimè tutatus eſt, occaſionem nactus, rerum piè, ſtrenuèq; geſtarum glorioſam memoriam cum ſui deſiderio noſtris oculis reliquit inhærentem.

Atque vt ad Alexandrum III. redeam, enituit eius ſapientia præſertim in delectu S. R. E. Cardinalium, nam quicumque rerum potiuntur in adhibendis ad Conſilium ſibi viris, qui doctrina ſolertia, & pietate præ cæteris emicent, rerumq;

agendarum dexteritate, ac induſtria polleant; prudentiam ſuam palam faciunt. Alexander igitur Tertius, cum pleroſque alios, quos percenſere prolixum nimis foret, tum etiam M. Laborantem hos inter, in Sacrum illum Senatum cooptauit, anno MCLXXIII. S. R. E. Cardinalem Diaconum S. Mariæ in Porticu, deinde prouexit ad Presbyteratum attributo titulo Calliſti in S. Mariæ Tranſtyberim, anno MCLXXIX. Ciacon. num. 22. in tertia Creatione p. 575. & in quinta Creatione p. 582.

Is Laborantis nomen ſortitus eſt, vti Ioannes Alexandrinus Grammaticus, Philoponi ob amorem laboris, ſicut opinor, de quo fusè Alfarauius p. 114. Hiſtor.

Ipſe profitetur in Collection. manuſcript. lib. 4. par. 5. f. 139. floridum Florentinæ Patriæ ſibi Natale ſolum, & ad Vallem Arniſanæ Pontormæ Natiuitatis ſuæ nobile Caſtrum, cui nomen indidit viciniſſimus, & pons, & fluuius Orma, quod ita interpretor, ipſum ſcilicet natum Pontormæ in Caſtro ſito intra Florentinorum ditionem. Et certè Oppidum eſt diſſitum à Florentia 14. lapide, Patria etiam Pictoris celebris, & Florentina Patria pro Regione, ſeu Prouincia ſumitur; Pontisormæ Comites memorat Ricordanus Maleſpini Hiſtoriæ Florentinæ p. 74. In Francorum Climate ſcholas adijt, & ſcientias ibi didicit, Pariſijs nempè, vbi tunc eæ florebant, & magiſterium adeptus eſt, vnde Magiſter prænominatur; inde regreſſus Germaniam, ſiue Alemaniam luſtrauit, & Caſtrum Pontormæ reuiſens à quodam fauſtę memoriæ pio viro liberaliter

tér exceptus fuit, & in aula, vocat audientiam, Gulielmi Regis Siciliæ, & corã eo diſputauit, vt ipſe teſtatur in Opere ſuo de Iuſtitia, & Iure in 3. par. num.6. & in calce; ibique amicitiam contraxit cum Maione Amirato Siciliæ, ad quem direxit illud Opus ſuum Quadripartitum, & cũ Hugone Archiepiſcopo Panormitano, cui Opus de vera Libertate Tripartitum ſcripſit, cum Hermano Theologicæ veritatis amico, quem Germanum fuiſſe ſuſpicor, & cum Riſpaldo Theologici ſinus Alumno. ad quos de Secta Sabellianorum recrudeſcente, ac graſſante in Latinitate, vt loquitur, ſeu Italia, & de Relationibus in Trinitate, doctas exarauit epiſtolas.

Compoſuit Collectionem Canonum opus elaboratiſſimum, quod anno MCLXXXII. integrum edidit, cum per annos 20. inſudaſſet illi, ſiue ab anno MLXII. vt in calce notatur; extat illud inſcriptum Petro Pręſuli Pampilonẽſi, nam Hiſpanorum etiam amicitiam excoluit, & calamo perſcriptum in membrana, & illitis auro figuris inſigne; in Auguſtiſſimæ Baſilicæ Sãcti Petri Romæ Bibliotheca, titulũ præfert Compilationis Decretorum; additæ ſunt ad marginem Concordantiæ, ſeu παράλληλα Decreti Gratiani, quod paulò antè, anno MCXLI. fuit conſcriptum, ita vt hi Auctores concurriſſe videantur; adiectæ ſunt etiam Alexandri Tertij Decretales, & inter alias, quædam ad ipſum Magiſtrum Laborantem Sanctæ Mariæ in Porticu Cardinalem Apoſtolicæ Sedis Legatum miſſa.lib.5.par. 2. p.213. quæ inſerta etiã legitur Collectioni Decretaliũ Gregorij IX.in c. 11. ſuper eo, quod numeratur 22.

Ext. de Teſtib. & atteſtat. ſed perperam in editis pro Magiſtro ſcriptum fuit Matthæo, ibiq; agitur de negante ſe mulierem affidaſſe ; meminit huius operis à Laborãte collecti cum laude laudatiſſimus Cardinalis Baron. in Annall. Eccleſ. ad annum 1182. p.766. & aliorum mentionem facit. Amicitiam coluit iſte Laborans cum Viuiano tituli Sancti Stephani in Cœlio Monte Presbytero Cardinali, qui ſe qualemcumque vocitans(ſicut ipſe Laborans inſcribebat ſe Dei gratia) & Laboranti nuncupat Tractatulum de Appellationibus, vt opinor, mutilum. Erat hic Viuianus Alexandri Tertij tempore, ab eoque ad titulum illum Cardinalem prouectus, teſte Ciacon. Laborans prætereà multis, magniſque Legationibus functus eſt, & quamuis complures lucubrationes ediderit, res quoque plurimas patrauit,ac primùm anno 1178, Legatus in Longobardia poſt fœdus Venetum, vt eius conditiones per ſingulas Ciuitates confirmaret, ipſas adijt;iterum ibidem ſub Vrbano III.Legationem obijt. Perpetuus Comes fuit Luciij III. Vrbani III. Gregorij VIII. & Clementis III. ſub quo exceſſit anno 1189.vnde miror cur adnotet eum vixiſſe lõgo tẽpore in ordine ampliſſimo Ciaconius, tũ ab anno 1173.quo Diaconiam S.Mariæ in Porticu, beneficio Alexandri III. obtinuit, ad 1189. quo migrauit è vita, tantum elapſi fuerint ann. 16. & longæuiores Cardinales extiterint quamplurimi.

Mirandum profectò magis eſt virum ſtudijs addictum tantas res geſſiſſe in luce Orbis terrarum, totque peregrinationes ſuſcepiſſe, ac ne illius

255

illius memoria intercidat, ſicut Eminentia Veſtra, vt eius Monumenta literaria in lucem emittam, typiſque mandari curem, non dedignatur, ita ipſius effigiem, & hoſpitis, qui Pontormæ illum fouit reducem è Francia, & Alemania, cuique Laborans in Cælo Palatium præcatur, excudi, pingique, quemadmodum in Codice Compilationis viſitur, meritò iubet, tum ob communionem Patriæ Florentinæ, tum ob dignitatis conſortium, & præcipuè propter Reipublicæ Literariæ, cuius bono Eminentia Veſtra nata eſt, incrementum, & ad Sedis Apoſtolicæ, cuius zelo ardet, decus ampliandum, neue ſit occultum quidquid eſt poſteris profuturum.

Appendix
De illo ipſo Laborante.

QVÆ Ciaconius laudat Diplomata, poſteaquam bis exhibuit Cardinalem Laborantem ſub Alexandro III. non appinxeram elogio, ſatiſque mihi fuerat è Ciaconio mutuari, quæ de rebus ab illo Cardinale geſtis, deque mortis tempore retulerat, ne tamen quidquam omitterem, viſum eſt illa quamuis confusè aggeſta, & indiſcriminatim attexere. Aliquot vetuſta documenta Canonicorum Veron. Alex. III. Bulla Eccleſiæ Bononien. ann. 1173. Diaconus Fontis viui Parmen. Diœc. ann. 1180. Presbyter Lucij III. Vrbani III. Gregorij VIII. licet VII. adſcribatur per errorem in vltima

etiam

editione Ciaconij Clem. III. S. Benedicti de Mantua anno 1189.

Sereniſſimæ præterea Mediceæ Gentis lumen alterum ſplendidiſſimum Eminentiſſimus,& Reuerenidiſs. Princeps LEOPOLDVS S.R.E.Cardinalis alijs diplomatibus additas ſubſcriptiones ab eodē Cardinali Laborante, quas excepit ipſe à Viris Antiquitatis peritiſſimis, proque innata ſibi erga literas, & literatos munificentia communicauit, hiſce Coronidis vice adiungam.

A Franciſco Maria Florentino V.Cl.



I. Diploma Priuilegij Protectionis conceſſæ ab Alexandro III. Rectori,& Confratribus Pontopopoli. dat.Anagniæ 11. Kal.Iunij Indict.9.Incarnationis Dominicæ anno 1176. Pontificatus 17. vbi Crux huiuſcemodi appicta pro Monogrammo, vltimuſque Diaconorum ita ſubſcribit.

Ego Laborans Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Porticu ſubſcripſi.

II. Diplomatis conceſſi ab eodem Alexandro III. exemplum, Abbatiæ S. Pontiani Lucæ S. Mariæ, Vnionis cum Sancti Benedicti de Pado. Dat. Teramen. 2.Non. Maij Indict.10. Incarnationis Dominicæ anno 1177. Pontificatus 18. & hoc Crucis ſignum cum ſubſcriptione.

S. ✠.

Ego Laborans Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ.

III Autographum Priuilegium Lucij III. Eccleſiæ

 266

cleſiæ Lucen. Dat. Laterani 2. Idus Nouembris Indict.15. Pontificatus anno Primo, cum eadem Cruce, ſubſcribitur ſeptimo loco inter Presbyteros.



Ego Laborans Presbyter Cardinalis S. Mariæ Tranſtiberim tit. Caliſti.

IV. Eſt & alterum Autographum Protectionis immediatè conceſſæ à Clemente III. Abbatiſſæ, & Conialibus S. Cartini d' Agello. Dat. Piſis 16. Kal. Februarij Indict. 6. Incarnationis Dominicæ ann. 1187. Pontif. Primo, eadem cum Cruce, & ſubſcriptione, & tamen Clemens III. cœpit ſedere Piſis electus 8. Idus Ianuarij 1188. à Ciacon.



Ego Laborans, &c. Eſt tamen in Acumine Crucis o.

A. D. Capitaneo Coſmo de Arena V. Ill.

Suggeſtæ fuere duæ ſubſcriptiones.

I. Priuilegij Clementis III. conceſſi Plebi Collen. cum hacce Cruce, atque ſubſcriptione pari.



II. Altera Priuilegij Vrbani III. ſimillima.

Hucuſque de Laborante Cardinali elaboraſſe mihi ſufficiat, eiuſque fugitiuam memoriam, & in Baſilicæ Sancti Petri Bibliotheca penè ſepultam reuocaſſe tantiſper, vt Eminentiæ Veſtræ quam erga demortuos etiam Ciues impendit, aſſectarer pietatem.

F I N I S.

AD LECTOREM

Epigramma Echoicum Diſtichum.

Qui legis, emenda (Ech.) menda, & ſic corrige, dum Tu
Marte Tuo reliquas emaculas (Ech.) maculas.

Pag. 10. v. 29. πεμπτῇ.
19. v. 4. Gelonium.
v. 8. & in qua Eclanenſem obtinebat.
21. v. 12. paraturis.
23. v. 15. κροκόπεπλος, id eſt, velum croceum habens.
24. v. 4. Syncopen.
35. v. 4. CARDINALI.
43. v. 9. Monialibus S. Martini.

Imprimatur,
Si videbitur Reverendiſs. Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

I. Archiepiſc. Vrbinaten. Viceſger.

Imprimatur.

LIOTECA NAZ. ROMA VITTOR. EMANUELE

F. Hyacinthus Libellus Sac. Pal. Apoſt. Mag.